

Ut Capitanei et Praefecti Confiniorum in Sclavonia et ad Segniam Dominorum terrestrium bona et proventus non occupent: Atque Capitaneus Crisiensis Nobiles coloniali conditioni subjugatos, libertati pristinae restituere debeat.

Articulus 36.

Licet diversis Regni Constitutionibus et novissime etiam praecitato Art. 33. Anni 1618. Ne Capitanei et Praefecti Confiniorum in bona et jurisdictionem Dominorum terrestrium et Liberarum Civitatum, sub amissione officiorum, se intromittere praesumerent, cautum fuisset; contra easdem tamen, iidem Capitanei et Praefecti Confiniorum Sacratissimae suae Majestatis, tam in Confiniis ejusdem Regni Sclavoniae, quam in Portubus maris Adriatici circa Segniam, cum alias, tum etiam non ita dudum praeteritis temporibus, certas tam Ecclesiasticorum, quam secularium Dominorum terrestrium, Liberarumque Civitatum, bonorum et proventuum occupationes et avulsiones perpetrasset, sibi vendicasse commemorantur:

§. 1. Ideo statutum est; ut comperta rei veritate, praedecclarato modo occupata et avulsa, legitimis eorundem Dominis, medio antelatorum Dominorum Commissariorum; prouti etiam unius sessionis Nobiles, in totalibus possessionibus Trem et Szent-Peter in Cherstovecz, ad Praesidium Crisiense commorantes, a Legibus et Jurisdictione Regni per Capitaneum ejusdem loci avulsi, colonialique conditioni subjugati, in avitam eorundem libertatem restituantur.

De insolentiis et damnificationibus, per Uskokos Magnifici Rudolphi Paradeyser admissis et illatis, satisfactione praestanda: Curandoque ut ab oppressionibus desistere debeant.

Articulus 37.

Gravissima quoque injuriarum et querelarum moles circa depraedationes totius Comitatus Simigiensis, ac non solum in miseram plebem, verum et ipsam Nobilitatem tormentorum genera, per Milites praesidiarios Caproncenses, Szent-Györgyvarienses, Szalakoczienses et Dernienses; vulnerationes, item caedes, verberationes, captivationes, incarcerationes, domorum et Curiarum Nobilium Regni Sclavoniae invasiones et depraedationes ac conflagrationes, Bonorum depopulationes, rerum direptiones, pecorumque abactiones, Colonorum receptiones, Liberarum Civitatum pariter Caproncensis et Crisiensis Jurium et libertatum oppressiones, per eosdem Regni Sclavoniae Confiniorum Officiales et eorum Milites, nec non Magnifici Rudolphi Paradeyser Uskokos Milites, in finibus Provinciae Carnioliae habitantes, illata; Sacratissimae suae Majestati querulose copiosius repraesentata; coram eisdem Dominis Commissariis, in particulari, per quoscunque querulantes, erunt repraesentanda ac per eosdem, cum debita injuriarum satisfactione complananda. *)

*) Urgetur; An. 1638. a. 22